

gelus bonus, qui me de omni expectatione malignorum spiritum eripiens, proprio corpori, ut cernitis, restituit. Nunc ergo confessione peracta, tempus est ut abeam, minime jam reditura, sed in æternum misericordias Domini canitura, qui me, licet indignam, tremendo iudicio suo, eadem misericordia præveniente et subsequente, tam dignanter subduxit. »

Cum hæc illa dixisset, caput in feretro reclinavit : et signaculo sanctæ crucis se muniens, spiritum exhalavit. Utinam quicumque mortis æternæ iaculo per criminale aliquod peccatum transossus exemplum istud legerit vel audierit, ad confessionis et poenitentiae salutare remedium animetur, sciens procul dubio neminem a Domino veniam consecuturum, qui vicario ipsius, hoc est prælato vel sacerdoti suo, humiliari contempserit! Quod si quis absque fundamento confessionis, virtutum opera super inane præsumptionis ædificare tentaverit, vel de confessione quæ in extremis fit, propter ipsa bona opera sua præsumperit, seu majore dementia tale aliquid, quale nunc retulimus, de se somniaverit, noverit, quia quanto altius absque alis confessionis volaverit, tanto ruina ejus gravior erit, et quia confessio in extremis tanto difficilius conceditur, quanto superbius de ea præsumitur : singularia quoque privilegia paucissimis per divinam gratiam collata, generalitatem prorsus excludunt (35). Ex his colligitur multo melius esse, dum adhuc vacat, et id hoc corpore sumus, prævenire faciem Domini in confessione pura, quam in obstinatione nostra perdurantes, in die generalis resurrectionis sempiternæ confusionis et opprobrii nunquam finiendi coram angelis et hominibus notam sustinere, insuper etiam horrendæ maledictionis iaculo feriri, quando dicetur impiis et inconfessis : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (Matth. xxv).*

CAPUT VI.

Quanta pietate Dominus somnolentiam cujusdam devoti monachi castigavit; quanta severitate alteri tepidi et negligentis inertiam corripuit.

Erat in supradicto cœnobio Grandissillvæ monachus quidam spiritualis, et magna gratia præditus, qui licet assidue cum somnolentiæ vitio luctaretur, contendens puram Domino, sicut oportet, devotionis servitatem in psalmodia exhibere, tamen naturæ fragilitatem in hac parte superare non poterat. Quadam itaque vice dum staret in ordine suo in choro, et quasi pigritando et dormitando psallere videretur, astitit ei quædam reverenda persona, cujus vultum non agnoscebat, quæ etiam excitans dormitantem, apprehendit eum per vestimentum a parte pectorali, et quasi de choro extrahere nitebatur. Qui dum traheretur, aperiens oculos, et videns eum dixit : « Quis es, domine, et cur me ita trahis? » Ille autem respondit : « Et tu, cur ita dormis? » Tanquam diceret : Nunquid propterea de stratu tuo surrexisti, et chorum intrasti, ut dormitando et capite nutando risum de te inimicis tuis faceres; et non magis propterea, ut Domino creatori tuo in conspectu sanctorum angelorum ipsius alacriter psaleres? Et cum hoc dixisset, dimisit eum, et statim evanuit. Frater vero, qui tam misericorditer a Domino pro somnolentia sua castigari meruerat, in timore Dei excutiens a se somnum torporis et negligentie, curavit deinceps ad vigilandum et psallendum cautior inveniri. Alius quidam in eodem monasterio monachus erat, nomine Bernardus. Hic-

(35) Historia hæc fere incredibilis, certa tamen videtur. Hanc noster auctor ait se ab abbate Belliloci Arnaldo accepisse, et ille asserebat a priore Calacensi, qui testis erat oculatus, se eam audivisse. Nec tamen quisquam debet inde præsumere, et salutis suæ non consulere.

quavis juvenili et vegeto corpore robustus appareat, tamen remissius cæteris agebat, exhibens se ad opus manuum pigrum, et ad vigiliis somnolentum. Unde etiam contubernalibus suis non parum onerosus erat, et ubique de inertia notabatur : præcipue in ecclesia, ubi negligentior inveniebatur. Quadam itaque nocte, cum eum dormientem ad vigiliis præcentor monasterii pertæsus nimiam pigritiam ejus solito severius excitasset, ille commoto animo surrexit, et in dormitorium perrexit. Cumque ad necessariam domum accederet, ecce turba dæmonum ad ostium cum ingenti strepitu et terrore adversus eum clamans, et crebris vocibus iterans. « Apprehendite, apprehendite illum. » Quo auditu repente totus inhorruit, et fugam festinanter arripens, rapido cursu in ecclesiam rediit. Cumque venisset ad stallum suum tremebundus et anhelus, illico defectum cordis incurrit, et corruens in terram, sine motu et sensu diutius velut exanimis jacuit... Sublatus autem inde fratrum manibus, et in infirmatorium delatus, cum ab illo terrore aliquantulum respirasset, et sui compos effectus fuisset, percunctantibus fratribus quidam ei accidisset, rem per ordinem referens, contumaciæ et somnolentiæ suæ penas se luisse testatus est. Porro novitius quidam dum ipsa hora in oratorio esset, eundem dæmonum strepitum et clamorem se audisse testabatur.

Sic ergo frater ille piger et negligens divinæ correptionis stimulo salubriter castigatus, didicit pigritiam, somnolentiam, atque desidiam, cæterasque hujusmodi pestes, vere esse stercora, quæ boves, hoc est, fortes in timore Dei, projiciunt, hoc est abominantur et detestantur : quibus etiam stercoribus immunda dæmonia pigros quosque et inutilis ad ipsorum multam confusionem lapidare non cessant (*Eccli. xxii*). Ecce quantum distat inter negligentiam ex infirmitate contractam, ubi in quotidiano conflictu vigor mentis velut aquis nivis se lavans, puram Domino nititur exhibere servitatem : et tamen ne insolescat et superbiat, somnolentiæ sordibus intingitur; et miseram inertiam, quæ arma spiritualia projiciens, hostibus ultro se tradit, non dormitans, sed dormiens et stertens profundius aliquando in choro quam in lecto; nec ulla vivacitate mentis resistens malignis spiritibus illudentibus et dicentibus : *Incurvare, ut transeamus (Isa. li)*. Pulchre vero gemino hoc exemplo quod retulimus, ipsa distantia expressa est, quia illum athletam Christi, cujus supra mentionem fecimus, per gratiam quidem pugnantem, sed ex infirmitate succumbentem, bonus angelus blando alloquio ab cautelam sui sollicitiorem effecit : hunc vero, cujus inertiam et recordiam prodidimus, cætera malignorum spirituum terroribus et clamoribus improbis insectando mente captum et fere alienatum reddidit. De bonis sumamus exempla, eligentes magis cum viris virtutum in agone spirituali viriliter certare; pigrorum vero et inutilium tepiditatis sic ex animo compatiatur, ut tamen negligentias eorum, propter spem divinæ retributionis, seu propter metum gehennæ ignis, modis omnibus fugere studeamus.

Nam et seniores Clarævallis de beatissimo Patre nostro Bernardo referre solebant quia dum quadam vice nocturnis vigiliis interesset, vidit angelum Domini cum incensorio cœlesti thymiamate referto utrumque chorum lustrantem; et quos vigilantes, psallentes et orantes inveniebat, suavissimo nectare spiritualium aromatum corda eorum reficiens, fastidium tollebat, et devotionem in eis exauebat; quos vero somnolentos, pigros et inutiles cernebat, quasi cum indignatione quadam præteribat, nec eos aliquatenus cœlesti pitantia dignos judicabat. Venerabilis etiam Pater dominus Richardus, quondam abbas Saviniaci, de quodam religioso et sancto

abbate, qui in una domorum Saviniacensium abbatizabat, mirabilem quamdam, ac paucissimam, ut reor, expertam gratiam nobis innotuit; quam ipsi ob meritum devotionis suæ largitas divinæ pietatis prærogare dignata est. Nam cum carnalibus non solum desiderijs, verum etiam cogitationibus a corde suo penitus eliminatis, in puritate et devotione mentis vigilaret, psalleret et oraret, superna desuper aspirante gratia solebat sentire naribus suis influentiam peregrini cujusdam odoris, nectaream suavitate cinnamomi, thuris, et balsami, omniumque odoramentorum fragrantiam incomparabiliter exsuperantem. Fancibus etiam suis quasi cœlestis manna dulcedinem infundi sentiebat, omnem in se saporem, et omne delectamentum suavitatis habentem. Quod veluti fons vivus in ore illius scaturiens, indeque ad interna corporis et animæ defluens, utrumque ipsius hominem dulcore mirabili perfundebat et afficiebat, ita ut ex sententia dicere posset : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo (Psal. cxviii)*. Felix anima, quæ non modo in seipsa, verum etiam in corpore suo, quamvis adhuc corruptibili, jam gustare et videre meruit : *Quoniam suavis est Dominus! (Psal. xxxiii)*. Nullatenus namque dubitandum est, quod cuicumque tam excellens donum concessum fuerit, carnalia mox in eo desideria potenter exstinguit, spiritualia vehementer ascendit, ipsamque animam totam igne divini amoris liquefacit. Præterea malignorum spirituum fugam insinuat, sanctorum angelorum præsentiam indicat; et præoptatum divinæ clementiæ respectum tam felici quam veraci experimento denuntiat. Sic sic novit Dominus consolari humiles in servitio suo strenuos et devotos : novit etiam terrere desides et inertes, commoda carnis suæ plus justo sectantes, præsentis quodammodo judicio declarans quod in futuro examine manifestandum propheta denuntiat (*Malach. iii*); videlicet quid intersit inter servientem Domino, et non servientem ei; inter voventem Domino et reddentem, voventem et non reddentem; cui, secundum testimonium sacræ Scripturæ (*Eccl. v*), melius fuerat non vovere quam post votum promissa non reddere. Itaque quod in supra memoratis personis, diversis pro qualitate meritorum stipendiis, corporaliter et visibiliter Dominus fieri voluit, hoc in cunctis servitium Dei profitentibus spiritualiter et invisibiliter actitari, certissime scire debemus. Sicut enim professionis suæ memores, et nulla laboris seu vigiliarum instantia pertæsus, quominus quotidianum psalmodiæ et hymnorum cursum prompta et alacri devotione persolvant, divinæ dignationis pietas secretissima visitatione revelat, fovet et consolatur; sic nimirum professionis suæ oblitus, et nec summis, ut aiunt, digitis arduos labores vigiliarum et servitii Dei tangere volentes, horrida dæmonum colluvies variis illusionum et passionum phantasiis fœdare non cessat, et in barathrum periculosissimum tepiditatis et negligentie de die in diem procliviores efficere conatur.

CAPUT VII.

Quantum periculum sit sacros ordines ambire (36).

Audiant ambitiosi, auscultent ad sacros ordines seu ad ecclesiastica beneficia impatienter anhelantes, exemplum de ambitioso; audiant, inquam, et contremiscant : et quid sibi de maximis timendum sit, in minimis considerantes, tandem patrimonio crucifixi Domini se imprudenter ingerere vereantur, quoniam *hereditas ad quam festinatur in principio*, eodem Domino majestatis, qui ex infirmitate crucifixus est, irato *in novissimis benedictione carebit (Prov. xx)*. Monachus quidam Cisterciensis ordinis, religiosa admodum conversatione vitam suam consummans, temptationibus et ærumnis hujus mutabilis vitæ morte

(36) Historia de ordinum ambitioso incerta est.

interveniente subtractus est. Quo defuncto sacrista domus illius nocte quadam imminente jam tempore vigiliarum, dum præstolaretur signum horologii vigilans sedebat sic in lecto suo, cum ecce spiritus ejusdem fratris tanquam solido et palpabili corpore vestitus, repente astitit coram ipso, sicque lamentabili voce allocutus est eum : « Domine sacrista, ego sum ille frater nuper defunctus, sed cur nunc ad te venerim, quæso, ut pietatis intuitu pensare digneris. Ego enim dum adhuc essem vivens in corpore, licet per gratiam Dei vigilanter satis in observantiis Ordinis meipsum exercebam, in uno tamen graviter deliqui : quod scilicet sacrum diaconatus ordinem carnaliter concupivi, et ut ad hunc honoris gradum ascenderem, sine respectu timoris Dei valde inquietus fui : quodque adhuc est gravius, absque condigna poenitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inveni. Sed pius Dominus idcirco nunc me tibi apparere concessit, quatenus qui jam per meipsum mereri nihil possum, fratrum nostrorum, qui adhuc tam sibi quam aliis misericordiam Dei promereri possunt, orationibus debeam adjuvari. Itaque obsecro per pietatem Domini nostri Jesu Christi quatenus calamitatem meam priori exponas, ipsumque roges, ut in capitulo me absolvens, generalem orationem pro mea liberatione fratribus injungere dignetur. Ut autem noveris hæc quæ vides et audis phantasticam nequaquam illusionem esse, in argumentum veritatis psalterium quod portarius ante aliquot dies in capitulo requisivit et nondum invenit, in tali loco repositum invenies. »

Verum sacrista qui hæc audierat et viderat, licet multum miraretur tam insolitam novitatem rei, tamen cum esset homo maturi consilii, ipso die nemini quidquam super hoc verbo locutus est, reputans ne forte tanquam somniator aut a dæmonibus illusus derisui haberetur. Nocte vero sequenti, dum sicut prius vigilans et sedens in lecto suo, de iis quæ præterita nocte contigerant attentius cogitaret, rursus idem defunctus sicut antea vigilanti et stupenti apparuit, dixitque ei : « Non recte agis, domine sacrista, non recte agis circa me, qui iram Domini porto, quoniam peccavi ei, in cujus manus quam horrendum sit incidere, utinam et tu non experiaris? O si scire posses quam gravis est jam minima pœna animæ carne solutæ, protecto non tam negligenter ageres, sed totis viribus succurrere satageres. Quapropter etiam atque etiam contemtor te per Deum, ne ulterius dissimules, sed petitionem meam effectui mancipare festines, quia spero me per orationes fratrum nostrorum apud clementissimum judicem Deum misericordiam adepturum. Ut autem totius dubietatis scrupulus de corde tuo tollatur, et meipsum esse, quem paulo ante viventem in carne bene noveras, non dubites, ecce tolle de manibus meis psalterium quod portarius in capitulo quaesivit, et necdum invenit. » Tulit itaque sacrista psalterium de manibus ejus, super tam inauditum mirabilibus Dei vehementer obstupefactus, quia ipse vere est qui facit mirabilia magna solus. Porro idem sacrista scire volens, utrumnam solidum et palpabile esset corpus quod videbat, utrumve sic subjaceret tactui sicut visui, cum haberet prope se virgam, tulit eam et quasi tangendo experientiæ satisfactorus, levi ictu vibravit illam; sed mox nullo penitus obstaculo resultante, quasi per vacuum aerem, sic per corpus quod apparebat transducta est. Mane autem facti, priori et fratribus quæ viderat et audierat innotuit : psalterium etiam quod acceperat, tanquam veritatis pignus protulit, sicque fratris illius anima per communes fratrum orationes, et missarum celebrationes pœnis, ut credimus, absoluta, beatitudinis æternæ consortium Deo miserante promeruit. Sed quid est quod omnipotens Deus in his novissimis præsentis sæculi temporibus tam multa de

animarum statu clarescere facit, quæ antea latuerunt, ita ut apertis revelationibus atque ostensionibus, animarum post mortem vita, futuri quoque sæculi manifestatio se nobis quodammodo inferre, jamjamque aperire videatur, nisi hoc quod beatus ait papa Gregorius, quia, « quanto præsens sæculum propinquat ad finem, tanto futurum sæculum ipsa jam quasi propinquitate tangitur, et signis manifestioribus aperitur? »

Væ igitur iis qui, tremendi et æterni iudicii Dei tantis et tam manifestis erumpentibus signis, adhuc, secundum Apostolum, turpe lucrum sectantes, quæstionem æstimant pietatem, qui sacris ordinibus et ecclesiasticis honoribus per fas nefasque se intrudere non verentur: et cum item dicat Apostolus neminem sibi debere assumere honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron (Hebr. v.), isti e contrario superbo oculo et insatiabili mente quaslibet ecclesiasticas dignitates prece, pretio et obsequio mendicare non erubescunt, non ut vigiliis, jejuniis et orationibus intenti, lucrandis animabus invigilent, sed ut gulæ et ventri, vanitati et superbiæ vitæ satisficiant, quorum damnatio, nisi resipuerint et penitentiam egerint, tanto erit præ omnibus hominibus durior et importabilior, quanto ipsa divina sacramenta indigne pervadere et viciorum Christi sacros ordines carnaliter sibi arrogare non timuerunt. Sed qui agimus, vel potius quo lacrymarum imbre plangere poterimus, quod hac ambitionis peste universum genus filiorum Adam sic generaliter infectum est, ut quanto quis religiosior, sanctior et perfectior esse contenderit, tanto subtilius hoc infirmæ mentis vitio se pulsari erubescat? Sicut enim in quodam sermone suo testatur beatus Bernardus, nobilis creatura sumus, quippe ad imaginem Dei creati, sursum aspiramus omnes, ad alta nitimur cuncti, et sublimia sectamur universi: nec esset omnino ullum vitium altitudinis appetitus, si legem ab Altissimo præfixam nullus ascendere gestentium transgrediretur. Quia vero interveniente peccato intentio nostra curva, ratio cæca, voluntas infirma effecta est, necesse habemus pro imperfectione nostra compungi in cordibus nostris, sciendi in confessionibus, humiliari in poenitentiarum laboribus, et omnino solliciti esse, ne unquam demus membra nostra arma iniquitatis peccato; hoc est ut nunquam vanis adulationibus, simulatoriis obsequiis, vel quibuslibet quasi suavis morum lenociniis, morbo nos ambitionis laborare, a proximis vel præpositis nostris deprehendi patiamur.

CAPUT VIII.

De periculo inobedientie (37).

Cum Apostolus de Domino et Salvatore nostro dicat quia factus est Patri obediens usque ad mortem (Philipp. ii), et beatissimus legislator noster Benedictus obedientiam usque ad impossibilia extendat (38); ipse etiam Dominus de prælati Ecclesiæ suæ fateatur: Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit (Luc. x); dolendum valde est sacræ religionis professores, et obedientiam super omnia et ante omnia voventes, in tantum quandoque superbiæ et inobedientiæ fastum prorumpere, ut nec precibus flecti, nec minis terri queant, ut ab insanis suæ fervore detumescere velint. Unde necessarium reor exemplum inobedientiæ in medium adducere, quatenus ii, qui iracundiæ felle commoto, et superbiæ ulcere exasperato, nec Deum timent, nec homines reverentur, audientes quam terribili iudicio suo Deus superbis

(37) Quod de fratris inobedientis poena refertur, debuisset iste auctor expressione nominum propriorum probabile reddere: ut fecit in sequenti cap. probabilem narrationem de pio, sed inobedienti pastore.

(38) S. Bened. cap. 68 Reg.

resistit, discant magis humiliari et obedire cum mitibus, quam spolia contumaciæ et arrogantiae dividere cum superbis. Conversus quidam Cisterciensis ordinis priori suo inobediens factus quod sibi imperabatur superba mente facere despiciens, nullo respectu timoris Dei, nullus fratrum blandis admonitionibus ad hoc poterat induci, ut obediret imperanti: quinimo tumidis et indisciplinatis responsionibus hoc se nunquam facturum garriehat. Interea sole ad occasum vergente clauditur dies; et ipse rancoris et amaritudinis felle plenus, et in contumacia sua perdurare non pertimescens, tanquam pausaturs in lecto suo se collocavit, illius Apostolici male memor: Sed non occidat super iracundiam vestram (Ephes. iv). Ecce autem primo conticinio noctis, cum necdum obdormisset, sed adhuc diræ superbiæ vitio, corde machinando malum, satisfaceret, adsunt duo nequam spiritus fuligine tetriciores, draconibus crudeliores, stantes ante lectum ipsius: quorum unus alteri quasi interrogando sic locutus est: « Quisnam est iste qui jacet hic? » Respondit alter: « Conversus quidam. » Rursus ille qui prior locutus fuerat quasi substomachando: « Nequaquam, inquit, sed inobediens quidam. » Et continuo subiecit alter dicens: « Ergo si inobediens est trahamus illum ad portam. » Nec segnius dicto quod dixerat exsequuntur. Nam manus misero injicientes, et de lectulo minus suaviter executientes, os etiam ipsius, ne clamare posset, obturantes de dormitorio et cœta fratrum obedientium inobedientem et contumacem traxere crudeliter. Deinde per aera eum ferentes, cum venissent extra septa monasterii, cœperunt illudere ei, proh nefas! ad alterutrum eum iaculantes, sicut solent homines ludentes pilam jacere et capere. Cumque diutius illusissent ei, dimiserunt illum ad horam recedentes ab eo. Sed, o inexplebilis diabolice nequitie crudelitas! post paululum namque reversi, cum sicut prius cœpissent illudere ei, ecce signum servitii omnipotentis Dei subito insonuit: ad cuius tinnitum, tanquam si tonitruum de cœlo cum fragore super eos rueret, terrii fugerunt: miserum vero conversum jam non superbum et contumacem, sed ad instar damulæ pavidum ac tremebundum, in quadam paludem quæ ibi erat projecerunt. Qui se inde prout poterat propiciens, subitus quadam arborem consedit, totus ex uligine paludis denigratus atque fœdatus. Ubi cum morore et angustia depressus sederet, et incontinenti reditura larvaes demonum effigies formidaret, astitit ei repente persona quædam reverenda, dicens ad illum: « Confortare, et noli timere, quoniam maligni illi tenebrarum ministri, superbiæ et contumaciæ ultores, tibi ulterius nocere nequaquam præsumunt. Hæc autem justo Dei iudicio tibi propterea acciderent, quia tam superbe inobediens et rebellis esse seniori tuo non timuisti. »

Mane autem facto cum conversus idem inter cæteros fratres non appareret, et licet multum per officinas quæsitus inveniri non posset suspicatus sunt omnes clandestino eum discessu ad sæculi vomitum rediisse. Erat autem situs loci talis, ut coquinarios oporteret ad ministerium coquinæ mundam aquam extra portam haurire. Unde fratres qui tunc coquinæ officio inserviebant, summo mane egressi ad hauriendam aquam, viderunt conversum illum, velut amentem, sub arbore sedentem: festinatoque redeuntes priori et fratribus quod viderant indicarunt. Prior itaque assumptis secum aliquantis ex fratribus exivit foras ad eum; vidensque cum sic miserabiliter se habentem, quæsitivè quare illic sederet, vel quid mali illi accidisset. Ipse vero caninis rictibus morsum intentans fratribus ad se accedere volentibus, et torvis oculis singulos respiciens dicebat: « Vos tota nocte hæc

vidistis me ludibrio fuisse malignis spiritibus, et nemo ex vobis auxilium mihi ferre curavit. » Protinus ergo intellexerunt fratres eum pro culpa inobedientiæ et contumaciæ suæ aliquas pœnas solvisse; et præcipiente priore ductus est in infirmatorium, ibique diu jacens et eadem amentia laborans, didicit ex iis quæ passus est, contumax et rebellis non esse, et, sicut scriptum est, sola vexatio intellectum dedit auditui (Isa xxviii). Itaque sicut incomparabile malum est superbia et rebellio, ita sine exemplo punientur, damnantur et cruciantur superbi, arrogantes et rebelles. Quorum sententia longe sit ab omnibus nobis, qui Deum sincera et humili charitate diligere, et vicariis ipsius prælati nostris in omni sollicitudine propter ipsum subdi et obedire decrevimus.

CAPUT IX.

Item de periculo inobedientie.

Sunt vero nonnulli, qui licet ab hac grossa et quodammodo manifeste peremptoria inobedientia tota sollicitudine, sicut dignum est, declinent, in minoribus tamen præceptis per obedientiam injunctis minus cauti, limitem obedientiæ facile transgrediuntur, sed etsi postea reatum inobedientiæ confessione et poenitentia diluere conantur, magis hoc perfunctorie, quam vera cordis contritione facere comprobantur. His ergo adhuc exemplum inobedientiæ proponere non gravabor, ut quibus panis mendacii, id est propriæ voluntatis appetitus, contra mandatum prælati sui suavis esse dignoscitur, hoc exemplo terri respiciant, ne forte panis furtivus in stomacho conscientie vertatur in fel aspidum: sicque divitiis inobedientiæ, quas delectabiliter devorant, evomant, et de ventre eorum extrahat eas Deus. In provincia quæ dicitur Germania trans Rhenum, quæ etiam generali nomine Saxonia vocatur, territorio civitatis Parbrunnensis, quam Carolus magnus imperator condidit, exstat cœnobium sanctimonialium Arol-disseium nuncupatum, quod sanctissimorum apostolorum filiorum Zebedæi sacro nomini attitulum, magnæ antiquitatis religionis et districtissimæ disciplinæ fuisse dignoscitur. Huic monasterio quodam tempore præfuit vir vitæ venerabilis, nomine Petrus, de ordine Regularium canonicorum assumptus, quoniam et ipsius monasterii instituta secundum Regulam Beati Augustini disposita sunt. Erat ergo homo ille mandatorum Dei scrutator sedulus, et executor devotus, charitate clarus, humilitate submissus, castitate præcipuus, quique, tanquam fidelis paranympus et amicus sponsi, sponsarum Domini sui sibi comissarum castitatem pervigili devotione zelabat, latrunculos quosque integritatis corruptores, ne thalamum celestis sponsi violarent, viriliter propulsabat. Cumque bonis polleret moribus, hoc in conversatione sua præcipuum velut pretiosam margaritam habebat, sacræ videlicet venerationis Dei genitricis sincera cordis affectione insistere, hostiam salutarem et sacrificium singulare, per quod peccata mundi tolluntur, in ejus honore multa cum devotione frequenter immolare; ipsam sibi in cunctis necessitatibus suis advocatam eligere, ipsiusque suffragia lacrymosis et continuis precibus implorare. Porro laudabilem talem consuetudinem sibi effecerat, ut quoties nomen mellifluum ejusdem beatæ Virginis et matris nominari audisset, si opportunitas petendæ veniæ deesset, inclinato reverenter capite, genibus etiam aliquantulum incurvatis, salutationem angelicam eidem matri misericordiam, quanto devotius poterat, repræsentaret. Denique optimi agonis certamine feliciter consummato, tempus advenit, quo veridicam illam celestis oraculi sententiam experiretur dicentis: Beati mortui; qui in Domino moriuntur, (Apoc. xiv.) Adversa namque correptus valetudine febribus cœpit æstare, et

quanto viciniorem esse mortem signa mortis erupentia nuntiabant, tanto specialis patronæ personæ suæ, dominæ nostræ, auxilium cœpit enixius flagitare: et ut ad servuli sui exitum occurrere, seque a malignorum spirituum nequissima crudelitate tueri dignaretur, attentius orare.

Itaque paucis diebus ante dormitionem suam vocavit ad se priorissam ejusdem loci, nomine Gislam, prudentem valde ac religiosam virginem, quasdam etiam de senioribus sororibus, dixitque ad illas: « En ego ingredior viam universæ carnis; et licet pro modulo meo puram Domino studuerim exhibere servitutem, tamen quia nescit homo utrum amore dignus sit, an odio, districti Judicis ancipitem sententiam reformido. Porro notum vobis facio quod beata Dei genitrix Virgo Maria, Regina cœli, Domina mundi, me cras qualemcunque servulum sum circa horam sextam visitare, atque, ut spero, credo, confido, de hujus mundi exsilio eruere secumque ad celestis patriæ lucidas mansiones assumere dignabitur. Quod enim meis me meritis consequi posse nullatenus præsumo, hoc per ipsius sanctissimam meritam mihi fiducialiter usurpo. Vos ergo domum totam mundari quantocius facite, sedilia componite et ornate, ac circa horam quam prædixi, universas sorores cum thymiamate et cereis adesse præcipite; cumque ego versiculum illum sequentiæ Assumptionis B. Virginis, Te, cœli Regina, incœpero, cunctæ simul sorores in júbilo cordis et vocis sequentiam ab eodem versiculo usque ad finem alacri devotione percantent. Verum priorissa cæterisque sororibus quæ aderant, fidem continuo dictis ejus adhibentibus, utpote sanctitatis et innocentie ipsius consciis, conversus quidam nomine Theodericus, ad caput lectuli in quo homo Dei jacebat stans, et incredulus iis quæ dicebantur, talia in corde suo loquebatur: « O vere mobile, et infirmum omnique verbo credens genus femineum! Ecce enim homo hic in vicinia mortis constitutus, deficiente sensu, aliena loquitur: et istæ, sorores verba ejus tanquam ex ratione prodeuntia, vel veritate subnixa, putant continuo effectui fore mancipanda. » Talia eo cogitante, sanctus sacerdos caput virtute qua poterat elevans, et ad partem illam ubi conversus stabat oculos dirigens: « Esne, inquit, ibi, frater Theoderice? » Quo respondente: « Sum, domine. — Accede, ait, huc ad me. » Illo quoque protinus accedente: « Da, inquit, manum tuam. » Obstupefactus conversus, et adhuc eum quasi minus compotem sui considerans, non ausus tamen contradicere sermonibus sancti, dedit manum suam. Quam vir Dei apprehendens, et digitis suis digitos ejus fortius stringens: « Sicut, ait, verum est quod ego manu mea manum tuam teneo, digitisque meis digitos tuos stringo, sic verum est quod ego per virtutem gratiæ Dei locutus sum: quod autem tu in secreto cordis tui loqueris, falsum esse scias: me scilicet delirare sensuque turbato nescire quid dicam. » Sic itaque per unius increduli propheticam ac vere divinam correptionem, omni dubietatis nubilo a cordibus cæterorum deterso, tantam gratiam spiritali Patri suo cœlitus fuisse collatam omnes in commune gratulabantur. Jam altera dies illuxerat, et hora quam vir Dei prædixerat, sole ad centrum festinante proximabat, universitasque sororum cum fratribus laicis adunata piissimæ Reginæ cœli adventum tanto certius præstolabantur, quanto eam is qui prædixerat, manifestiore miraculo comprobabat. Tanta vero reverentia mentibus cunctorum qui aderant circa prætaxatam horam infusa est, ut divinam aliquam advenisse virtutem, nemini astantium dubitare fas esset. Ipse vero beatus sacerdos mirum in modum serenata facie, elevatis in cœlum oculis, manibus quoque sursum protensis, versiculum quem prædixerat cantando imposuit dicens: Te, Regina cœli, hæc plebicula viis concelebrat men-

tibus. Sed quis digne effari queat quanta devotione et compunctione, quantoque pietatis affectu eadem sequentia a sororibus percantata sit? Jacebat interim servus Dei in agonia, raptusque in exstasi multa de secretis cœlestibus et de statu ejusdem cœnobii per revelationem cognovit, quæ postea priorissæ, senioribus sororibusque indicavit. Omnium vero oculis in eum defixis, subito obnubilata est facies ejus, et corrugata fronte mœroris cujusdam et anxietatis magnæ signa dedit, erumpensque in vocem, miserabili lamentatione talia edidit verba: « Cur, domina piissima, servulum tuum pauperculum in hac fœce mortalitatis relinquis, quem licet indignum tam benigna visitatione consolari dignata es? Dulcissimam præsentiā tuam tantis desideratam votis, expetitā precibus et lacrymis, jamjamque morituro dignanter iudulisti, et nunc ad patriam vitæ, ad gaudia paradisi rediens, misero comitatus tui consortium negas? » Cumque frequenter iterando: « Domina piissima, domina misericordissima, ne derelinquas me. Tecum volo, tecum volo cunctos in fletum et lamenta convertere: » repente redditis sibi, postquam propter nimiam defatigationem corpusculi modicum conquieverat, dimissis cæteris et priorissa cum paucis senioribus secum retenta, sic locutus est: « Refocillandi gratia modicum aliquid liquoris afferri præcipite, quatenus, ariditate linguæ delinita, fauciumque rheumate deterso, expeditius proferre valeam quod dicere debeo. » Festinato itaque priorissa per seipsam modicum vini in vasculo afferente, mox ut limen domus in qua homo Dei jacebat attingit, ille, cum neque visu neque illo corporis sensu percipere posset quid illa gestaret, exclamavit, dicens: « Non, domina priorissa; nequaquam afferatis nobis vinum, quia vinum arcana denudat (Eccli. xxii), et vinum apostatare facit sapientes (Eccli. xix). » Audiens illa tam evidenti prophetiæ spiritu se esse deprehensam, adeo intremuit, ut gradum vix reflectere posset. Dehinc modica aqua refocillatus, ita exorsus est: « Quanta sit culpa inobedientiæ utinam, miser, antequam poenam experirer, subtilius intellexissem! Utinam hoc mentibus vestris, sicut necesse est, imprimere valeam! Ecce enim pro reatu inobedientiæ piissima domina mea in hac lacrymarum valle nunc me reliquit, nec dignum censuit ut sub protectione ipsius aereas pertransiens potestates cœli secreta penetrarem. Qualis autem ipsa inobediencia mea fuerit, audite: Accidit aliquando novæ plurimi diœcesis hujus presbyteri improvida calculatione decepti, jejunium Quatuor Temporum mensis Septembris illegitimo tempore celebrarent, in quo errore et ego, canonum scita minus attendens, prolapsus sum. In proxima vero synodo, cum ii qui jejunium illegitimo tempore celebrarent, hanc transgressionem accusarent, præceptum est in virtute obedienciæ ut quicumque hujus delicti sibi conscius esset, veniam peteret et se culpabilem redderet. Cumque cæteri, quos accusabat conscientia, malentes periclitari famam quam conscientiam, quod jussum fuerat humiliter facerent, ego miser plus deferens Ordini et opinioni meæ quam veritati, quia et unus ex prelati Ecclesiæ eram, et nonnullius religionis esse putabar, heu! confusionis opprobrium non sustinens, publice veniam petere erubui. Hoc est peccatum meum, hoc delictum inobedienciæ, propter quod hodie tanto bono privor, ut a consecratu universalis dominiæ matris misericordiæ repulsus, ab introitu æternæ vitæ et sempiternæ gloriæ ad erumnas mortalitatis hujus revocatus sum. » Porro priorissa inquirente utrumnam peccati illius maculam per confessionis et pœnitentiæ lavacrum non diluisset, illeque se hoc non semel, sed pluries confessum fuisse assereret, cum magna

(39) GREG., hom. 7 in Ezech.

admirationis stupore priorissa subjunxit: « Væ mihi peccatrici, domine Pater: quid ergo dicemus de sacramento confessionis? Si tibi non semel, sed pluries confitenti indulgentia est negata, quis jam alius mediante confessione delictorum veniam sperare poterit? » At ille dignum memoria verbum respondit dicens: « Scire debetis quoniam, secundum intentionem vel contritionem confitentis sive pœnitentis, intentio iudicii, sive remissio indulgentiæ reformatur. Quia enim ego miser peccatum meum secundum veram æstimationem ponderare neglexi, nec quanta oportuit contritione et compunctione cordis confessus sum, propterea necdum indulgentiam consequi merui. » Cumque talia tristis et mœrens locutus fuisset, sororum quæ præsentes aderant corda magno terrore concussa sunt, et ad obedienciæ puritatem sectandam non mediocriter accensa. Triduo, si bene memini, postea supervixit, tanto amarior lugens peccatum suum, quanto divini iudicii districtioem evidentius fuerat experitus. Moriens autem, mortalitatem magnam in eadem domo futuram esse prædixit, quæ etiam mortem ejus e vestigio subsecuta est: sicque in pace consummans dies suos, plenus operibus bonis appositus est ad patres suos. Verumtamen festivam illam et omnino gloriosam assumptionem, qua cum beata Dei genitrice Maria sanctorumque angelorum frequentia assumi meruisset, si culpa non intervenisset, merito inobedienciæ perdidit: cujus utinam exemplo non omnes, qui obedienciā professi sumus, terreamur, ut nunquam ad inobedienciæ vitium prosiliamus: aut si per infirmitatis humanæ corruptionem prolapsi fuerimus, condignis hoc pœnitentiæ lamentis diluere festinemus.

CAPUT X.

De periculo conspirationis.

Apud provinciam, quæ Germania prima dicitur, cujus metropolis est Maguntia, territorio civitatis Wangionum, quæ est Warmatia, exstat cœnobium Cisterciensis ordinis, de linea Clarævallis, quod Germanica lingua Sconaugia dicitur, quodque interpretatum *pulchra insula* dicitur. In hoc monasterio temporibus bonæ memoriæ domni Godefridi abbatis facta est aliquando, instigante maligno, gravissimi scandali occasio talis: Superiori tempore per negligentiam, seu potius indiscretam benevolentiam prælatorum, consuetudo, contra formam Ordinis, præsumpta in eadem domo inoleverat, scilicet ut conversis sicut et monachis annuatim novæ botæ darentur. Cum autem prædictus vir strenuus de altera domo assumptus divina pariter et humana vocatione primum honoris gradum non pecuniæ vel carnis et sanguinis prærogativa, sed vitæ merito prudentiæque decore in eadem Ecclesia obtinisset, et invenisset conversos temerario hoc fastu delectari, laudabili zelo accensus, præsumptionem pessimam censuit esse corrigendam. Itaque privatim in consiliis et publice in fratrum capitulis cepit ingenue de præsumpta novitate causari, monere, rogare, tandem etiam præcipere, ut tortitudo prævæ consuetudinis Ordinis rectitudini non conveniens, absque scandalo dissensionis, si fieri posset, amputaretur. Sed quia viscus diræ præsumptionis carnalium fratrum mentibus tenacissimo glutino miseræ obstinationis sic inhæserat, ut absque scandalo avelli nequaquam posset, maluit vir prudens ut, secundum beati Gregorii doctrinam, scandalum magis oriretur quam veritas relinqueretur (39). Cæperunt itaque conversi primo quidem in angulis susurrantes murmurare, dehinc conspiratione paulatim invalescente, seditioem publicam effrenata insania meditari. Totius vero mali incentor et conspirationis auctor exstitit conversus quidam, cui dormitorii fratrum servandarumque botarum cura commissa fuerat: qui diabolico spiritu repletus, et secundum prophetam in omni loco silen-

tium projiciens (*Amos viii*), nunc singulos, nunc simul plures conveniebat, suadebat, hortabatur, ut nunquam consuetudinem suam insolentiæ fomitem, elationis incentivum, quacunque precum seu minarum occasione sibi palerentur auferri. Et o quam mirabili, imo quam lamentabili dementia, spiritus superbiæ illos quos semel deceperit, illaqueat, ita ut arduos durissimosque labores, quos si propter Deum subire cogentur, intolerabiles judicarent, contumaciæ fastusque typho inflati tanquam leves et faciles subire non vereantur! Cum enim dominus abbas susurria eorum primum deprehendisset præceperat per virtutem obedienciæ, ut quicumque ex eis silentium rumperet, si ante cibum hoc faceret, eadem die; sin vero postea, sequenti die in pane et aqua jejunaret. Quod is cujus supra meminimus, non conversus, sed perversus, nequaquam virtutis amore, sed ut invidiam abbati suo suscitaret, tanquam cœlitus datam sententiam servare curabat. Nam cum pene quotidie conspirationem conflando silentium frangeret, singulis etiam fere diebus in pane et aqua jejunabat, ut vel sic animos fratrum in odium abbatis inflammaret qui tam duram et inhumanam sententiam promulgasset.

Interea sacratissima Dominici Adventus celebritas supervenit; et conspirationis procella clandestinis susurris aucta et roborata undique intonabatur: jamque publicum scandalum, et ipsum gravissimum minitabatur. Dederat namque prædictus pseudoconversus concilium pessimum, quod etiam sceleratissima instantia perurgebat, scilicet ut vigilia Natalis Domini congregatis fratribus de grangiis unanimo consensu dormitorum monachorum tempore laboris ascenderent, atque de singulorum lectis botas auferentes, minutatim eas ferro secarent, manibusque discerperent. Licet vero prodigiola hæc et infamias eorum nequitia venerabilis abbatis conscientiam minime lateret, dissimulavit tamen, sicut scriptum est, quia *prudens in tempore malo tacebit* (*Prov. xi*). Cæterum quanto in tantis angustiis longius aberat humanum consilium pariter et auxilium, tanto enixius divinæ pietatis viscera statuit interpellanda, monachisque generalem orationem indicens, monebat, ut singuli secundum possibilitatem suam Domini misericordiam peterent, quatenus de tanta insolentia carnalium fratrum melius aliquid disponere sua pietate dignaretur. Instabat jam præcipua et festiva Natalis Domini solemnitas; et ante paucos dies ejusdem solemnitatis domno abbate capitulo conversorum presidente, prædictus signifer dissensionis et minister Satanæ de indiscreta abstinentia, et quia barbam suam novacula penitus abrasisset (quod quidem miser ille intentione commovendi scandali fecerat), a quibusdam complicitibus suis, nequaquam zelo ordinis, neque fraternæ charitatis intuitu, sed studio exercendiæ malitiæ proclamatus est. Cumque dominus abbas blando affatu quæreret ab eo cur hoc fecisset, et ex tumidis inordinatisque responsionibus ejus intelligeret malitiam ipsius esse completam, laudabili quodam justitiæ zelo accensus, sic ad eum præ-sago spiritu coram omnibus locutus est: « Debueram quidem, frater, salutaribus monitis aggredi contumacem animum tuum, si forte respisceres a laqueis diaboli, a quo captivus teneris et ipsius voluntatem; sed quoniam trabs superbiæ oculum cordis tui adeo obnubilavit, ut eam per humilitatem meam ejici posse non præsumam; et quoniam sic te alienatum sensu video, ut monitanastra, irrideas potius quam recipias, ideo omnibus hic sedentibus de te fiducialiter pronuntio quia, nisi celerius et sine dilatione respiscas atque humiliato spiritu ad satisfactionem venias omnipotentis Dei terribile iudicium in brevi senties, et, sicut scriptum est, *in tempore vindictæ disperdet te Dominus* (*Eccli. v*). Ecce iterum ac tertio dico omnibus hic sanum in-

tellectum habentibus, quoniam sicut pius et misericors Dominus humilibus dat gratiam, sic terribilis Deus indeclinabili linea rectitudinis suæ superbis resistit (*I Petr. v*), ideoque tu, qui pacis et institutionis, quam sancti Patres sanxerunt, publicus hostis es, si in malitia perseveraveris, durissimum intra paucos dies iudicium portabis. Confido enim in Domino Jesu, et in gloriosa Virgine matre ipsius, cujus nos inutiles servuli sumus, quia domum istam ab ipsa sui fundatione fraternæ charitatis glutino, laudabiliumque morum disciplina conspicuam, non patientur tua nimium improba pervicacia corrumpi. »

Jam preces fratrum super intestinæ discordiæ tabe gementium ad aures Domini Sabaoth ascenderant, et angelus Domini accepta ab eo sententiâ, pertransiens eos, quorum frontes signo Thau (40), hoc est vexillo humilitatis Christi, insignitas reperit, miserum conspirationis auctorem, cujus fronti characterem bestię et draconis, qui est rex super omnes filios superbiæ (*Job xli*), impressum vidit, percussit, ac sine mora exstinxit, pariterque cum eo totius scandali turbinem et præsumptionis nebulam dissipavit. Vespera namque diei vigiliam Natalis Domini præcedentis, cum post completorium de dormitorio descendisset, et infirmarius conversorum, qui quasi secundarius ejusdem conspirationis esse videbatur, cum quo etiam venenata dissensionis consilia frequentius tractabat, ei occurrisset, subito vocem doloris cum gemitu valido cepit emitere, et pallescente facie, naribusque contractis, oculis etiam de statu suo eversis, mortem incontinenti adfuturam, tristia signa declarabant. Turbatus alter, cum jam nutantem cerneret, ne forte repentino lapsu terræ allideretur, medium complexus est; sed adeo subitanea mors fuit, ut antequam terram petere posset, inter manus tenentis se funesti sodalis miseram animam exhalaret. Tunc conturbati sunt principes conjurationis, robustos in contumaciâ sua obtinuit tremor, obriguerunt omnes dissensionis et schismatis incensores. Quam bonus es, Domine Jesu, sperantibus in te! quam dulcis est misericordia tua in tempore tribulationis! sicut ros matutinus, et sicut pluvia opportuna in diebus siccitatis. Tu enim es Rex regum, et Dominus dominantium, qui sedes in throno iudicii, dissipans omne malum intuitu tuo (*Prov. xx*); qui per unius peccatoris terribilem mortem peccatores coercuisti multos, et domum illam, quoniam placita tibi in ea inventa sunt opera, a turbine præmeditati diuque conflati scandali misericorditer liberasti. Accurrerunt undique ad signiferum suum conversi; et quem postero die ad inauditum scelus perpetrandum quasi ducem sequi decreverant, ejus, Jesu bone, cadaver exstinctum miserabili tumultu in infirmorium deferentes, in area, ubi fratres vita excedere solent, consternati metu et tremore, collocarunt. Non enim passus es, Domine, sacratissimam solemnitatem tuam in qua primum ministerio angelorum pax terris annuntiata est, discordiæ schismaticæque perturbatione fœdari. Cumque tabula defunctoria signum dante universorum aures percellerentur, tum maxime propterea, qui neminem illic sic proximum morti sciebant, dominus Theobaldus tunc subcellerarius, postmodum vero ejusdem loci abbas, quique inde assumptus prælatus est matri Ecclesiæ, scilicet Everbacensi quæ est, una de primis filiabus Clarævallis, cujus etiam revelatione nos ista didicimus, orationem, quam dominus abbas pro pervicacia conspirationis constituerat, usque ad illam horam oblivioni traditam eodem momento, quanto devotius poterat, persolvebat. Audito vero sonitu tabulæ, festinanter in infirmorium cucurrit; et cum rescisset quis defunctus esset, vehementer admiratus iudicium Dei, domnum

(40) Alludit ad Ezech. ix.